ILLUSTRISS. REVERENDISS. ET PRÆCLARISS. VIRO JOSEPHO IPPOLITI PATRICIO...

Lorenzo Cassigoli

Digitized by Google

ILLUSTRISS. REVERENDISS. ET PRAECLARISS. VIRO

JOSEPHO IPPOLITI

PATRICIO PISTORIENSI

564.7

EPISCOPO CORTONENSI VIGILANTISSIMO
APOSTOLICAE SEDI IMMEDIATE SUBIECTO
MOECENATI AMPLISSIMO
SE SUASQUE PROPOSITIONES
EX UNIVERSA PHILOSOPHIA DEPROMPTAS

LAURENTIUS CASSIGOLI

IN FLORENTINO SANCTI MARCI COLLEGIO
ORDINIS PRAEDICATORUM
PHILOSOPHIAE AUDITOR
L. M. D. C. Q.

1879

FLORENTIAE MDCCLXXIII.
TYPIS REGIAE CELSITUDINIS)(APUD CAJETANUM CAMBIAGI

SUPERIORUM ADPROBATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESES

EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

I. DOctrinam Stoicam, aut Platonicam, aut Ariſtotelicam, Philoſophiam vulgi more non adpellamus, ſed ut homines definiendi periti, ſtudium ſapientiae, ſi rem ipſam quaerimus, rerum humanarum, ac divinarum, terreſtrium, atque coeleſtium ſcientiam (*a*).

II. Ut Philoſophicae diſciplinae rite comparentur, nihil magis decere Philoſophum arbitramur, quam aequam opinandi libertatem ſequi, quare prae omnibus Ecclecticum Philoſophandi morem ſectandum ducimus.

III Non ii tamen ſumus, quorum mens tanto vagetur errore, ut contendamus ejuſmodi libertatem ad controverſias etiam religionis eſſe extendendam.

IV. Quin maximopere improbandam ducimus Spinoſae inſaniam adſerentis = Neque Thaeologiam, hoc eſt fi-

 = dem

(*a*) Melchior Canus de loc. Theol. libro 9 C. 9.

Digitized by Google

= dem rationi, neque rationem fidei ancillari debere; ſed
= ſuum unicuique regnum, ſuum jus, neutrum neutri ob-
= ſequium tribuendum (*a*) =.

V. Neque enim eſt aliquid verum ſecundum philoſophiam, quod falſum ſit, ſi Divinae revelationi aures praebeamus, ut Petrus Pomponacius, Caeſar Cremoninus, aliique bene multi in Concilio Lateranenſi quinto proſcripti opinabantur.

VI. Itaque quemadmodum ex recto libertatis philoſophandi uſu maxima commoda, innumera propemodum inventa, ac ſplendidiſſimum lumen cum reliquis philoſophiae partibus, tum Phyſicae praeſertim affluxiſſe, ſic ex impio nefarioque ejuſdem libertatis abuſu extremam nedum revelatae ſed & naturali religioni perniciem derivaſſe, praecipuas naturalis ſcientiae partes expendentes nos poſſe dimonſtrare confidimus.

VII. Atque ut a Logica exordiamur, cujus uſum, neceſſitatemque ſatis laudare non poſſumus, Philoſophandi captivitate factum eſſe remur, ut praeclariſſima facultas innumeris tricis abundaret, in neceſſariis deeſſet.

VIII. Cum enim Dialectica ars ſit veri inquirendi, ac praeoccupatas opiniones amandandi, hoc vix ac ne vix quidem a Peripateticis praelibato, in iis potiſſimum operam impendebant, quae ingenii potius acumen, quam utilitatem ſapiunt, interquae eas in primis quaeſtiones recenſendas ducimus, quae ab illis acrius ad ravim uſque diſputantur = De ente rationis, de antepraedicamentis, de univerſalibus, de quibus vir doc. Melchior Canus in locis Theologicis = Puderet, inquit, dicere, me non
= intellexiſſe, ſi ii intellexiſſent qui hac tradiderunt =.

IX. At ubi Philoſophandi invaluit libertas maximo ſcientiarum incremento veteribus tricis inveſtigationes erro-

rorum

(*a*) Tract. Theologico-politici Cap. 14.

Digitized by Google

rorum humanae mentis, cauſarumque, unde promanant ſubſtitutae ſunt, quarum ſtudium ſummopere colendum cenſemus, quo & ſenſuum praejudicia, & educationis, populique anticipatae opiniones deteguntur, animique affectuum vitia intelliguntur, certoſque canones ſtatuimus, quorum ope tot, tantaeque errandi occaſiones vel amandantur prorſus, vel ſuis coercentur limitibus.

X Sed & illud maximi commodi acceſſit, ut Critices ſtudium impenſius coleretur, cujus utilitatem ſatis laudare non poſſumus, cum ex ea, & de auctoritate ſcriptorum judicare, & eorum dicta mentemque interpretari, & a veris ſuppoſititios, aut interpolatos libros diſcernere diſcamus.

XI. Plurimum denique recentiorum Philoſophorum conatibus emendata, ac perfecta eſt tum accademica, tum ſyllogiſtica argumentandi ratio, quam non tollendam, quod nonnulli contendunt, quin provehendam ſectandamque eſſe cenſemus.

EX PHYSICA.

XII. QUot vero, quantaeque in Phyſicam ex philoſophandi libertate utilitates promanaverint, quot naturae arcana e tenebris eruta, quanta luminum inventorumque acceſſio facta ſit, illi facili negotio intelligent, qui Scholaſticorum in Ariſtotelis verba jurantium phyſicam, cum iis, quae de praeclariſſima hac facultate recentiores tradidere paulisper componant.

XIII. Qui Phyſicam ex veteribus philoſophis tractandam ſuſceperunt ad tres ferme claſſes revocari commode poſſunt, ad illos, qui ex ideis Metaphyſicis, abſtractiſque conceptibus de rerum Phyſicarum principiis arguentes,

ſingulis rerum ſpeciebus qualitates ſpecificas tribuerunt, e quibus deinde corporum ſingulorum operationes ignota quadam ratione pendere volebant. In hoc poſita eſt ſumma Doctrinae Scholaſticae, ab Ariſtotele, & Peripateticis derivatae, qui ut diſerte animadvertit Rogerus Cote *(a)* adfirmantes utique ſingulos effectus ex corporum ſingularibus naturis oriri; at unde ſint illae naturae minime docentes, nihil profecto docebant.

XIV. Itaque quoaduſque haec philoſophandi ratio invaluit phyſicarum rerum ſcientia ne hilum quidem profecit: nec mirum; deſtituti ſiquidem erant anſis, & adjumentis Philoſophiae, Mathematicarum ſcilicet rerum ſcientia, quam viro Philoſopho neceſſariam apprime eſſe pronunciamus.

XV. Illud quoque illis accedebat incommodi, quod una Ariſtotelis, in cujus verba jurabant ſententia contenti, neque naturalem hiſtoriam colere, neque experimenta inſtituere ſatagerunt, ex quibus profecto univerſa facile Phyſica pendet.

XVI Factum hinc eſt, ut myſtica illa vocabula qualitatum occultarum, formalium ſubſtantialium, inſtinctus, horroris, aliorumque hujuſmodi nominum barbara farrago in phyſicam irrepſerit ad ignorantiam fovendam, & ad aeterna exercenda diſſidia accomodata; in quibus profecto rerum nominibus toti cum ſint non in ipſis rebus, ſermonem quemdam Philoſophicum adinveniſſe cenſendi ſunt, phyſicam tradidiſſe non ſunt cenſendi.

XVII. Si quando vero naturalia quaedam Phaenomena aut perſcrutari, aut explicare contenderunt, quam longe a veritate erraverint, atque in quot quantoſque errores ſint ſaepe ſaepius prolapſi, nos facili negotio demonſtraturos eſſe ſperamus, ſi prius aliquid de altera Philoſophorum ſecta breviter dixerimus.

XVIII. Cel.

(a) In praefactione ad prin. Mathe. Nev.

Digitized by Google

XVIII. Cel. Galilaeus Galilaei novarum ſcientiarum parens in ea erat opinione conſtitutus non eſſe operam tempuſque terendum, vel in rerum eſſentiis inquirendis, vel in minimis ſcrutandis magnitudinibus, quas natura abſconditas eſſe voluiſſe, ipſaemet philoſophorum hiſce de rebus diſſidentes ſententiae apprime declarant.

XIX. Multo minus ſperandum eſſe ſyſtema aliquod univerſale, perfectumque poſſe excogitari, quo pulchrum, integrumque naturae Mecchaniſmum adeo reveletur, atque comprehendatur, ut nullum ſuperſit Phaenomenon, cuius ex conſtitutis principiis certam ſtatutamque rationem adferre valeamus.

XX. Contendebat igitur vir ille acutiſſimus, in eo eſſe vel maxime laborandum, ut affectionum, ac proprietatum corporum ſub ſenſibus cadentium rationes redderemus, & a ſimplicioribus naturae operationibus exordientes phaenomena conſultando, experimenta repetendo ad univerſaliora progrederemur, huic optimae methodo ſi viri caeteroquin celeberrimi adhaeſiſſent certas ſtatuiſſent, immutabileſque leges, pulcherrimam intuliſſent concluſionum recte ductarum ſeriem, quarum ope ea quae occulta ſunt detexiſſent.

XXI. At quoniam ingenio, ac phantaſiae nimium, quam par eſt, indulgentes ſpeculationum ſuarum fundamentum ab hypotheſibus, quam ab experimentis deſumere maluerunt, etiamſi ſecundum leges Mechanicas accuratiſſime procedere ſibi viſi ſint, fabulam quidem elegantem forte, & venuſtam, fabulam tamen concinnaſſe dicendi ſunt, in errores ſiquidem innumeros ſaepe ſaepius prolapſi ſunt, quemadmodum cuique ſatis accurate Gaſſendiſtarum, ac Carteſianorum Phyſicam expendenti non raro patebit.

XXII. Non ii tamen ſumus, qui hypotheſes omnes ex

Digitized by Google

phyſica eliminandas cenſeamus, ſed ſobrie, ac neceſſitate tantum compellente iis utendum, neque ut veras, ſed ut quaeſtiones ſolum de quarum veritate diſputatur, in Phyſica recipiendas adfirmamus.

XXIII. Illorum igitur nobis quam maxime placet phyloſophandi genus, qui Phyſicam experimentalem profitentes ex ſimpliciſſimis quibus poſſunt principiis rerum omnium cauſas derivandas eſſe volunt, nihil principii loco aſſumunt, quod nondum ex phoenomenis comprobatum fuerit. Naturae vires, legeſque virium ſimpliciores ex ſelectis quibuſdam phoenomenis per analyſin deducunt, ex quibus per ſyntheſin reliquorum conſtitutionem tradunt.

XXIV. Hanc philoſophandi rationem longe optimam poſt Galilaeum prae caeteris merito amplectendam cenſuit V. C. Iſaacus Newton atque in ea excolenda, ornandaque, dum operam ipſe ſuam collocavit, philoſophandi in re phyſica libertate aucta pulcherrimae e tenebris veritates erutae ſunt, quarum nonnullas breviter exponemus.

XXV. Atque in primis cum laudato Newtono ſtabiliendum cenſemus, corpus omne perſeverare in ſtatu ſuo quieſcendi, vel movendi uniformiter in directum, niſi quatenus a viribus impreſſis cogitur ſtatum illum mutare.

XXVI Actioni quoque contrariam ſemper, & aequalem eſſe reactionem, ſive corporum duorum actiones in ſe mutuo ſemper eſſe aequales & in partes contrarias dirigi.

XXVII. Hujuſmodi leges, quae ſemper, & quibuſcumque in circumſtantiis, ut experimenta declarant, in corporibus obſervantur, veluti conſectaria videntur duorum attributorum materiei impenetrabilitatis ſcilicet, & inertiae.

XXVIII. Horum attributorum alterum inertiam ſcilicet,

quam

Digitized by Google

quam univerſalem corporum proprietatem eſſe adfirmamus, veteres Philoſophos latuit, comperta autem fuit a recentioribus, ex cujus cognitione factum eſt, ut multorum phaenomenon ratio redderetur.

XXIX. Hujuſmodi vis, quum in corporibus quietis, aeque ac motis reperiatur a ſimplici corporum quiete differt; quae quidem quies, non eſt quid reale in corpore & poſitivum, ſed privatio motus.

XXX. Sed & illud philoſophandi libertas conſecuta eſt, ut & alterum in corporibus detegeret univerſale attributum, vim ſcilicet adtrahentem, quae tot tamque praeclaris demonſtratur experimentis, ut nullum amplius dubium ſuperſit.

XXXI. Hujuſce proprietatis licet aliquam veteres, ne peripateticis quidem exceptis ſub obſcuram habuiſſent notionem, laus tamen praeclariſſimi hujus inventi Newtono in primis debetur, qui non aliquorum tantummodo corporum, ut arbitrantur illi, ſed omnium generalem eſſe proprietatem evicit, legeſque ſtatuit phaenomenis apprime convenientes, quibus illa operatur, quarum praecipua eſt in majoribus diſtantiis, operari illam in ratione inverſa quadratorum diſtantiarum.

XXXII. Cum autem viro Philoſopho in nullius verba jurandum eſſe cenſeamus, eadem libertate Newtono minime ſubſcribendum ducimus, dum novam vim, quam repellentem dixit invehere conatur, ii ſiquidem effectus, quorum iſtaec cauſa traducitur, cum ex majori vel minori attractione repeti commode poſſint, Newtoni principio adhaerentes, *effectum naturalium cauſas, non plures admittendas, quam quae verae ſunt & effectibus explicandis ſufficiunt*, vim hanc repellentem reiiciendam arbitramur.

XXXIII. Hujuſmodi univerſalem adtractionem, a Magne-

 tica,

Digitized by Google

tica, atque Electrica adtractione diſtinguendam cenſemus.

XXXIV. Ex hac adtractionis vi corporum gravitatem repetendam ſtatuit Newtonus. Sit nec ne hujuſce proprietatis haec vera cauſa, in praeſentiarum expendere in tanta philoſophorum diſſenſione non eſt animus.

XXXV. Quare immortalis Galilaei veſtigia ſectantes, de cauſa inquirenda parum ſolliciti, gravitatis phoenomena legumque Theoriam perſcrutabimur.

XXXVI. Ea erat ſane veterum opinio corporum cadentium motum accelerari, unde ortum axioma = motus in fine velocior = Quod vero uniformiter accelerentur, ſeu quod velocitates corporum ſint temporibus proportionales primus demonſtravit Galilaeus.

XXXVII. Arbitrabatur quondam Ariſtoteles mobilia diverſae gravitatis in eodem medio moveri velocitatibus, quae ſint eorum ponderibus proportionales: Quantum autem a vero aberraverit tum Galilaeus ipſe, tum reliqui recentiores Philoſophi innumeris experimentis demonſtrarunt.

XXXVIII. Newtonus quoque experimentis *in* vacuo *inſtitutis* probavi*t* quod antea Epicurus, Lucretius ſuſpicati fuerunt, & ratiocinio declaravit Galilaeus, corpora ſcilicet quaecumque magna, vel parva, firma, vel fluida cujuſcumque generis fuerint in vacuo ſimul ex eadem altitudine demiſſa aeque velociter deſcendere, atque idem ſpatium, eodem tempore percurrere.

XXXIX. Ex quo conſequitur differentiam velocitatis in deſcenſu, quae in corporibus magnitudine aequalibus, ſed diverſi generis variiſque ponderibus praeditis obſervatur non a natura corporea, ſed a medio aereo reſiſtente oriri.

XL. Illud quoque animadvertendum recentiorum obſervatio-

Digitized by Google

tionibus compertum eſſe gravitatem eorumdem corporum ubi vis terrarum eandem non eſſe, ſed majorem in locis terreſtribus, qui polis ſunt viciniores, minorem autem in locis aequatori propioribus.

XLI. Porro ex demonſtrata hac univerſali gravitate alter quoque Peripateticorum error refellitur, qui horrori neſcio cui vacui tum aſcenſum aquae in antiliis, tum Mercurii in tubis tribuebant, hi enim ſimileſve effectus non aliunde, quam ex aeris gravitate, & elaterio ſunt repetendi.

XLII. Vim electricitatis propriam eſſe tantummodo nonnullorum corporum cenſebant veteres, hanc univerſalem eſſe corporum proprietatem demonſtraverunt recentiores.

XLIII. Atque ex hac fulmina, caeteraque ignea meteora explicari commode poſſe contendunt.

XLIV. Hiſce praelibatis de univerſalibus corporum attributis, de ſecundariis corporum proprietatibus pauca dicamus. Atque a luce exordientes hanc qualitatem eſſe cenſuerunt Peripatetici, quibus lubenter adſentimur ſi referatur ad corpora illuminata, ſin vero in ſeipſa ſpectetur corpus eſſe nullo negotio demonſtratur.

XLV. Ex quo illud conſequitur non in inſtanti, ſed ſucceſſive, ut experimenta demonſtrant, propagari.

XLVI. Si hujus fontem expendamus, eſſe corporis lucidi emanationem probabilius cenſemus.

XLVII. Ut colorum naturam explicarent ad conſuetas qualitates occultas confugiebant Peripatetici, at poſtquam in verba Ariſtotelis Philoſophi jurare deſierunt, atque entitates illas e Phyſica exulare juſſerunt, colores eſſe non entitates aliquas vere corporibus inhaerentes, ſed quaſdam lucis modificationes deprehenderunt, quae juxta varium modum, quo a diverſis corporibus lux reſilit atque refrangitur, varias in oculis vibrationes variumque coloris ſenſum excitant.

XLVIII. Etſi

Digitized by Google

XLVIII. Etſi autem Carteſiani, & Newtoniani in allata doctrina generatim conveniant, rem tamen diverſa plane ratione explicant; illi ſiquidem totam colorum differentiam repetunt, ex diverſa corporum textura, e contra Newtonus, cui hac in re adhaerendum cenſemus immenſa experimentorum vi plane demonſtrat, majorem, vel minorem radiorum coloratorum refractionem ex ipſius radii natura potiſſimum oriri; etſi varia diſpoſitio quoque corporum exigatur ut alteri prae alteris colorati radii reflectantur.

XLIX. Ex hac eadem doctrina pendere Iridis phenomena arbitramur.

L. Hanc vero reflexionem lucis in minimis a contactu diſtantiis fieri, refractionem vero vi attractivae medii tribuendam eſſe vix in dubium vocari poſſe videtur.

LI. Doctiores pariter nos minime Ariſtotelici efficiebant ſonitum definiendo = qualitatem ſenſibilem, quae ex colliſione corporum orta, & per idoneum medium diffuſa aures penetrat, & acuſticum organum ea ratione percellit, ut certa in animo excitetur ſenſatio =; quare clarius & ad veritatem accomodatius recentiores naturam ſonitus, ſi reſpectu ſonori corporis conſideretur in oſcillatorio, ac ſubſultorio, ſeu tremulo exiguarum partium ipſius corporis motu, qui per aerem undalatione quadam dimotus ad auris uſque timpanum propagatur, conſtituendum decrevere.

LII Hinc momento temporis, quemadmodum de lumine diximus, ſonitus propagatio fieri non poteſt, non ea tamen celeritate propagatur ſonitus, qua lumen diffunditur; neque ad tantam diſtantiam.

LIII. Diverſitatem autem Tonorum a maiori, vel minori oſcillationum celeritate pendere proindeque celeriores oſcillationes tonum acutum, gravemautem producere tardiores cenſemus.

LIV. Nec

Digitized by Google

LIV. Nec minus erravit Ariſtoteles, dum calorem definivit, id, quod homogenea congregat, & heterogenea diſgregat, calor enim, ut optime animadvertit Cl. Mal. (a) „ Non congregat partes vini, nec partes cujuslibet alterius liquoris, ſeu corporis fluidi; imo nec partes argenti vivi. Contra omnia corpora ſolida, & fluida homogenea, & heterogenea reſolvit, & diſgregat. Ac ſi quaedam ſint, quorum partes ignis non poſſit diſſipare, id non fit, quod ſint ejuſdem naturae, ſed quia ſunt craſſiores, & ſolidiores, quam ut poſſint abripi motu partium ignis „.

LV. Quare calorem in motu celeri perturbato, & expanſivo ſubtilium molecularum corporis, frigus vero in hujuſmodi motus privatione conſiſtere putamus.

LVI. Ad glaciem vero, quod attinet, ex diſceſſu partium ignearum, & ex admixtione ſalium repetendam eſſe, veroſimile eſſe cenſemus.

LVII. Sapores quoque, non ab occulta qualitate cum Peripateticis, ſed a ſalinis, quibus ſapida corpora abundant particulis ab humoribus diſſolutis, ac papillulas linguae palatique cientibus, quemadmodum, & odores a ſubtiliſſimis effluviis ex odoro corpore promanantibus, naresque commoventibus repetendos ducimus.

LVIII. Deſpicienda demum Peripateticorum Sententia arbitrantium animalia, quae vulgo imperfecta dicuntur, ex putreſcente materia naſci, animalia ſiquidem omnia ex ſpecifico ſemine vel ovulo generari, & ratio, & experimenta invicte demonſtrant.

LIX. Hiſce de terreſtribus corporibus praelibatis, quam maxime, & in iis, quae ad coeleſtia corpora ſpectant a veritate Ariſtotelis Arabumque mancipia erraverint, paulis per expendamus; atque in primis irridenda illorum ſen-

(a) Lib. 6. de inquirenda veritate cap. 5.

Digitized by Google

ſententia eſt, dum contendunt coelum ſolidum eſſe, ex luminis namque tranſitu, ex planetarum motu, ac demum ex cometis hujuſmodi coelorum ſoliditas plane evertitur.

LX. Hanc Coelorum ſoliditatem ex Ptolomaei ſyſtemate, cui uni modicus adhaerebant fluere arbitrabantur, hoc autem ſyſtema, utpote Phyſicae, & aſtronomiae phenomenis repugnans, eſſe omnino reijciendum recentiores Philoſophi demonſtrarunt.

LXI. Itaque Planetarum motibus, eorumdemque conſtantibus legibus rite a Copernico, Nicolao Cuſano O. P. imprimiſque a Galilaeo, & Newtono expenſis, Pithagorae, Platonis aliorumque primi ſubſellii philoſophorum ſyſtema Telluri motum tribuentium aſtronomiae mirifice conſonare deprehenderunt.

LXII. Sed & nihil eſſe in hoc ſyſtemate, quod Phyſicis legibus adverſari videatur, adfirmare non veremur.

LXIII. Cum vero huiuſmodi ſyſtema litterali ſacrarum ſcripturarum ſenſui opponi credatur; novum ideo ſyſtema Ticho Brahe excogitavit, at ut Newtoniani contendunt neque phyſicae, neque aſtronomiae ſatis conſonum.

LXIV. Quare non quidem ut Theſim, ſed ut hypotheſim Copernicarum ſyſtema eſſe prae caeteris amplectendum arbitramur.

LXV. Recentiorum quoque conatibus, atque obſervationibus ignota coeleſtium corporum phoenomena fuere inventa, inter quae in primis recenſendae ſunt maculae ſolares a Galilaeo deprehenſae, ex quibus ſolis motum circa proprium axem collegerunt aſtronomi.

LXVI. Jovem quoque ſatellites quatuor Galilaeus, Saturnum vero quinque circumambire Hugenius, atque Caſſinus omnium primi obſervarunt, legeſque ſtatuerunt, quibus motus ſuos perficiunt.

LXVII. In-

Digitized by Google

LXVII. Inter meteora recenſendos eſſe Cometas Peripatetici ſentiebant. At multis obſervationibus non eſſe corpora ſublunaria, vel meteora, ſed circa ſolem inſtar Planetarum certa periodo revolvi recentiores non infirmis momentis evicerunt.

LXVIII. Hoc qualecumque ſpecimen non omnium quidem, ſed nonnullorum luminum inventorumque. quae rei Phyſicae praeſertim libertas philoſophandi comparavit, illius hac in re utilitatem maximam apprime declarat: Cavendum igitur, ne iterum ſub deſpecto jugo reducamur, quod illi facere videntur, qui vel uni ſectae ita ſe ſe dedunt, ut ne hilum quidem ab illa deſciſcere ſe poſſe putent, vel trans montanis adeo ſerviunt, ut Italos deſcipiendos ducant.

LXIX. Errant ſiquidem, cum & Philoſophiae reſtauratio Italis, ac Florentinis praeſertim debeatur, & praeclariſſima inventorum acceſſio per eos facta ſit, futuraque ſperetur, ſi huiuſmodi philoſophandi methodus promoveatur.

EX METAPHISICA.

LXX. ETſi autem illorum labor maxime ſit commendandus, qui veteri excuſſa ſervitute rei phyſicae promovendae operam navarunt, deſpicienda tamen eorum audacia, qui proprio marte omnia metiri volentes philoſophandi libertate abuſi ſunt, ut & naturalis, & revelatae religionis arcana impeterent.

LXXI. Quamquam enim nobis ſummo D. O. M. munere rationis lumen collatum fuerit, ut veritatem ſcrutaremur, eamque nobis compararemus, finita tamen eſt ratio, legibuſque adeo coercenda, quas dum Philoſophus prae-

praetergreditur, aut ultra vires eam provehendo, aut ea ſcrutari audendo, ad quae ratio non attingit ratione ac libertate abutitur, quo fit, ut in teterrimos prolabantur errores; nam cum nihil abſconditum illorum intellectui, nihil impervium putent = (a) quaecumque quidem ignorant, blaſphemant, quaecumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur =.

LXXII. Factum hinc eſt ut cum ſpiritalis infinitaeque ſubſtantiae claram perfectamque ideam ſe efformare non poſſe intelligerent, & animae immaterialitatem, & Dei exiſtentiam pernegandam eſſe impie effutirent.

LXXIII. Verum ad animae ſpiritalitatem, quod attinet, cum jam evidentiſſime a Summis Philoſophis demonſtratum ſit animi quaſcumque operationes nihil cum materia habere commune, atque cum praecipuis materiaei attributis pugnare, conſequitur profecto diverſae omnino ab omni materiae concretione ipſam eſſe naturae, atque ad ſimpliciſſimum ſubſtantiae genus, quod ſpiritale dicimus pertinere.

LXXIV. Cum autem ſubſtantiae omnino ſimplicis nullae prorſus ſint partes, fit inde ut neque ſuapte natura, neque actione corporum circumpoſitorum perire poſſint; quare inſaniunt profecto Montaigne, Dominus de S. Euremond, ac quot quot eam ab intrinſeco, ut ajunt, eſſe immortalem denegandum cenſent.

LXXV. Poſſet ſane Deus, qui animam e nihilo condidit, ſempiterna. ſiquidem non eſt illam in nihilum redigere, quod autem nolit, & rationes bene multae, & ipſius Dei revelantis auctoritas certiores nos facit.

LXXVI. Anima ergo Spiritalis cum ſit & immortalis, atque idcirco ratione praedita corruunt Hobbes, Collins, Spi-

(a) Jud. Apoſt. v. 10.

Digitized by Google

Spinoſae, ac Elvetii commenta e materialiſmo, quem tuentur, deſumpta, ac jampridem a D. Thoma confutata quibus libertatem omnem animabus adimendam eſſe contendunt [*a*] neceſſe eſt enim, ut oppoſite Angelicus animadvertit, quod homo ſit liberi arbitrii, ex hoc ipſo quadrationalis eſt.

LXXVII. Porro ex hiſce quae de animae exiſtentia, ac natura diſſeruimus, Dei quoque exiſtentia, poteſtas, ſapientia, ac providentia apprime probantur, Anima enim cum ſempiterna eſſe non poſſit, finita ſiquidem eſt, ac proinde minime neceſſariae exiſtentiae, aut ſeipſam condidit, quod repugnat, aut certe ab aliqua fuit cauſa procreata; Cauſa autem huiuſmodi non iners profecto, qualis eſt materies, ſed iis neceſſario dotibus eminenter, ac infinito modo aucta ſit oportet, quibus anima praedita eſt; quare cum anima rationalis ſpiritalis ſit, immortalis & libera; Spiritalis quoque libera, oniſciens, provida, ac omnipotens ſit illius cauſa neceſſe eſt. Hancque dicimus Deum.

LXXVIII. Adverſus Dei exiſtentiam, illiuſque infinitas proprietates diverſimode, infelici tamen conatu, Pantheiſtae Athei, atquae Deiſtae pugnarunt. Caeteris praeiviſſe videtur Spinoſa, qui quidem Dei exiſtentiam non pernegat, ſed cum adſerat (*b*) praeter Deum nullam dari, neque concipi poſſe ſubſtantiam (*c*) in rerum natura nullum dari contingens, ſed omnia ex neceſſitate Divinae naturae determinata eſſe ad certo modo exiſtendum, & operandum (*d*) Deum proinde non operari ex libertate voluntatis = Corpora denique omnia modos eſſe infinitae illius ſubſtantiae; prout extenſa eſt, mentem vero hu-

(*a*) 1. par. q. 83. ar. 1.
(*b*) Eth. par 1. prop. 14.
(*c*) Idem prop. 29.
(*d*) Cor. 1. prop. 32.

Digitized by Google

humanam partem eſſe infiniti intellectus Dei, talia inquam effutiendo, oratione quidem ponit, re autem Deum tollit. Univerſum hoc nefarii hominis ſyſtema utpote impium, ſibi ipſi contradicens, nulloque innixum fundamento, omnino eſt reiiciendum.

LXXIX. Spinoſam proxime ſubſequuntur Tolandus, Elvetius, aliique momenta omnia infirmare contendentes, quibus Dei exiſtentia invictiſſime comprobatur, atque ille quidem quo validiſſimum argumentum ex motu deſumptum ad Dei exiſtentiam demonſtrandam infirmet, ſtatuit cum Epicureis motum eſſe eſſentialem materiei proprietatem; Verum cum illud jam conſtet corpora tam ad motum, tum ad quietem eſſe indifferentia, ac vi inertiae quantitati materiei apprime reſpondente cuicunque mutationi reſiſtere, conſtat pariter motum haud eſſe naturalem corporum proprietatem; ex quo evidentiſſime colligitur corpus hujuſce motus primam cauſam eſſe non poſſe, atque adeo ad incorpoream cauſam eſſe confugiendum. Qua de re contra Tolandum, tum ex ſimplici univerſalique motu, qui in hac mundiali machina conſpicitur tum vero maxime ex motibus atque phoenomenis coeleſtium corporum Deum eſſe apprime probatur.

LXXX. Elvetius vero, quo everteret illud momentum ad rem noſtram confirmandam firmiſſimum ab adſpectabilis hujus Mundi contemplatione, rerumque omnium creatarum ſerio conſtantique ordine depronptum, (a) concedit contuliſſe quidem Deum materiaei vim quamdam, motumque, verum inductam in hoc orbe diſpoſitionem optimam variae corpuſculorum concurſioni adſcribit turbulentoque conflictui, quo poſt varios caſus, variaſque rerum compages factum tandem ſit, ut per leges motus ad aequilibrium pervenirent, atque in eo phyſico ordine

ſe

(a) De l'eſprit. d. 3. c. 9.

Digitized by Google

ſe conſtituerent, quem intuemur. Deſpecto, ab illo innovato, rejectoque Epicuri Syſtemati, ſatis erit reponere cum Cel Newtono quo melius nemo motus leges expendit = (a) Poſſe quidem corpora perſeverare inorbibus ſuis per leges gravitatis, ſed regularem orbium ſitum primitus acquirere per leges haſce minime potuiſſe =

LXXXI. Cum vero cauſarum quoque effectricium ſeries Dei exiſtentiam apprime exhibeat, ab hac ratione ſe expedire poſſe putat Spinoſa ad ſeriem generationum infinitam confugiendo = (b) Corpus, inquiens, motum vel quieſcens, ad motum vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatum fuit ab alio, & iterum illud ab alio, & ſic in infinitum = at cum ratio, qua unum corpus ad motum ab alio determanari neceſſario exigit, non aliunde, quam ab inertia ſit repetenda, haecque omnibus aeque, ac ſingulis corporibus conveniat, profecto deveniendum eſt ad incorporeum principium illis ſuppeditans motum illum, quo ſuapte carent natura.

LXXXII. Nec meliorem nefarius homo navat operam dum pernegat dari Ens contingens, & producibile ſtatuens res omnes ſolum produci ratione extenſionis diverſaeque modificationis; negari ſiquidem nequit, quin ſit contingens quod non dum exiſtens, vel etiam exiſtens poterat non exiſtere; quare & ex contingentia rerum exiſtentiam comprobari Entis neceſſarii, quod a ſe immutabiliter cum ſit, rebus omibus exiſtentiam contulerit diſerte adfirmamus.

LXXXIII. Ab hiſce evidentiſſimis argumentis preſſi, atque ad incitas redacti confugiunt denique Athei ad aeternitatem Mundi, atque in hac infinita durationis exten-

(a) Ph. Nat. Princ. Math. l. 3. Sch. Gen.
(b) Eth. p. 2. prop. 13. lem. 3.

tenſione, in infinita hac cauſarum mutationumque ſucceſſione nihil, praeter Meccanicas leges animadvertentes, nulla prorſus ratione opus eſſe primam, eamdemque potentem, ac ſapientem cauſam conſtituere contendunt; at quis unquam dabit illis a tota aeternitate hunc mundum extitiſſe, quem & humanae hiſtoriae, & civitatum exordia, & imperiorum incrementa, & artium ſcientiarumque notatae origines non aeternitatis modo, ſed neque magnae antiquitatis revincunt.

LXXXIV. Sed poſita etiam hac mundi aeternitate, *quid* inde conficere ſe poſſe putant? Utcumque enim ponatur aeternus, nihil certe in iis, quae univerſum ſpectant, videmus ſic eſſe conſtructum, ut neceſſario ſit, id quod eſt, non globorum magnitudines, non formae, non vires, non diſtantiae, quorum nihil eſt, quod infinitis aliis modis eſſe nequeat, contingens ergo cum ſit, Ens neceſſarium, quo exiſtat, & conſervetur etiamſi ſit aeternus, neceſſario poſtulat.

LXXXV. Tot igitur tantiſque momentis evidentiſſime conſtat exiſtere Ens neceſſarium eſſentiae, & exiſtentiae, quod Deum appellamus, quo ſemel conſtituto, demonſtratoque D. Thomae veſtigiis inhaerentes, illius perfectiſſima, atque infinita attributa vi neceſſariarum conſecutionum ex ipſius natura ductarum colligamus; ſimulque invictis momentis tum veterum, tum recentiorum, qui libertini dicuntur, pravas ideas, quas ſibi de Deo efformarunt, penitus evellamus.

LXXXVI. Atque in primis cum Deus neceſſitate naturae ſuae exiſtat, conſequitur ipſum & aeternum eſſe, & independens, cum Ens neceſſarium exiſtentiae, & eſſentiae cauſam nullam habere poſſit, a qua vel ſit, vel conſervetur, vel ullo modo pendeat, ſed ipſum ſit cauſa omnium, rationemque in ſe ſufficientem rerum omnium contineat.

LXXXVII.

Digitized by Google

LXXXVII. Perfectiſſimus quoque ſit oportet, ut enim arguit D. Thomas (*a*) cum Deus ſit ipſum eſſe ſubſiſtens, nihil de perfectione eſſendi poteſt ei deeſſe: Omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem eſſendi: ſecundum hoc enim aliqua perfecta ſunt, quod aliquo modo eſſe habent: unde ſequitur, quod nullius rei perfectio ei deſit.

LXXXVIII. Sed & ſimpliciſſimus ſit, neceſſum eſt; omne ſiquidem compoſitum & a ſuis componentibus pendet, & in partibus imperfectionem involvit; (*b*) in omni namque compoſito bonum non eſt hujus, vel illius partis, ſed totius, nam partes ſunt imperfectae reſpectu totius, ſicuti partes hominis non ſunt homo, & ſimiliter partes lineae non perveniunt ad perfectionem menſurae, quae in tota linea invenitur. Si ergo Deus eſſet compoſitus, perfectio & bonitas ejus propria inveniretur in toto, non autem in aliqua ejus partium, & ſic non eſſet in eo pure id bonum, quod eſt proprium ei. Quod repugnat.

LXXXIX. Ex hac pariter Dei perfectione, & infinitum illum eſſe colligit D. Thomas (*c*) omne namque quod ſecundum ſuam naturam finitum eſt, ad generis alicujus rationem determinatur; Deus autem non eſt in aliquo genere, ſed ejus perfectio omnium generum perfectiones continet: eſt igitur infinitus.

XC. Infinitatem hanc, & illimitationem, relativam dicit Hobbeſius, quatenus nempe imbecilles animi noſtri divinarum perfectionum modum non comprehendunt, ut nobis exponit Cudworthus, qua re ad divinitatem convellendam impius nihil excogitari poteſt.

XCI. Dei perfectionem, atque infinitatem, ut ajunt, conſequi-

(*a*) 1. p. 4. ar. 2.
(*b*) D. Th. l. 1. cont. Gent. c. 18. n. 6.
(*c*) Lib. 1. cont. Gent. c. 43. n. 1.

ſequitur immutabilitas, ut adnotat Angelicus (*a*) omne enim, quod immutatur aut admittit, aliquid aut aliquid acquirit; Deus autem, cum ſit infinitus comprehendens in ſe omnem plenitudinem perfectionis neque ammittere aliquid nec comparare poteſt, nec dum igitur quoad ſubſtantiam verum etiam quoad voluntatem eſt omnino immutabilis.

XCII. Polytheis quibus etiam in hortis naſcebantur numina, divinitatem in plures partiri ſolemne fuit; quam vero deſiperent ipſamet divinitatis infinita perfectio apprime declarat (*b*), namque ſi plures eſſent Dii, oporteret eos differre; aliquid ergo conveniret uni, quod non alteri, ſi autem hoc eſſet, perfectio alteri eorum deeſſet, & ſic ille, in quo eſſet privatio, non eſſet ſimpliciter perfectus, proindeque neque Deus. Unus igitur eſt Deus, qui quum ſit ſumme magnus, nullum parem admittit.

XCIII. Unum itidem eſt rerum omnium principium; quapropter ſtulte & inſcite Manichei, Petrus Baile aliique duo finxere principia ab invicem oppoſita, quorum unum bonorum eſſet cauſa, mala omnia ab altero conderentur, cui peſſimo errori cauſam dediſſe videtur opinio, malum poſitivam eſſe ſubſtantiam, contra quos clamat Auguſtinus (*c*) = nomen mali non eſt niſi privationis boni =

XCIV. Pari ratione, quum Deo nulla deſit perfectio, intelligere autem, velle, libertate frui ſint perfectiones, & illas ſupremo numini convenire adfirmamus.

XCV. Quam quidem Dei libertatem in operibus, quae ad extra dicuntur, dum nobis perfectiſſima illius natura, declarat, per quam ſibi ad beatitudinem ſufficientiſſimus eſt; nullaque externa re indiget, eadem probat, tum

Stoi-

(*a*) 1. p. q. 9. ar. 1.
(*b*) D. Th 1. p. q. 11. ar. 9.
(*c*) L. 2. de Civ. Dei c. 22.

Digitized by Google

Stoicorum, tum Spinoſae fatum eſſe inter fabulas recenſendum.

XCVI. Liberrime igitur Deus univerſa creavit, & quidem de nihilo condidit neque re aliqua, quidquid nonnulli Philoſophi blaterent, ac comminiſcantur, ceu ſubiecto praexiſtente indiguit adea, quae in hac ad ſpectabili univerſitate ſive mente, ſive ſenſu conſpiciuntur, molienda.

XCVII. Hinc aliud dignoſcitur attributum divinitatis, nimirum Omnipotentia; hanc vim dicimus, qua pollet Deus adea omnia quae ſunt abſolute poſſibilia producenda, probare autem non poſſumus ſententiam Carteſii ad contradictoria quoque divinam extendentis potentiam.

XCVIII. Ex principio rationis ſufficientis hanc coarctare & finire potentiam auſi ſunt ne dum veteres nonnulli, ſed & recentiores Metaphyſici. Ex veteribus Petrus Abealardus, meliora quam faciat, facere Deum non poſſe commentus-eſt. Exhauſtam hoc pacto Dei potentiam fatetur, quo nihil indignius aut proferri, aut excogitari unquam potuit.

XCIX. Ab Petri ſententia, non multum abhorrere videntur recentiores Leibnitius, & Wolphius enixe tuentes Deum in productione hujus Mundi ex omnibus poſſibilitus ita optimum elegiſſe, ut nec meliorem, nec deteriorem condere potuerit, quin ſibi, ſuiſque ſapientiae, Potentiae, & Bonitatis attributis deficeret; haec autem dum ſtatuunt, & divinam evertunt libertatem, & omnipotentiam impetunt.

C. Quum igitur illud jam conſtitutum ſit omne bonum, quod eſt in rebus a Deo manare, creaturaſque univerſas & conſervare, & ad praeſtitutos fines ſapientiſſime dirigere, quin ſit ſumma in Deo rerum omnium Providentia non eſt cur dubitemus.

CI. Providentiae quam maxime officere mala tum phyſica,

tum

Digitized by Google

tum moralia, quae in hoc mundo conſpiciuntur, effutiunt Epicurus, Bayle, aliique, at imperite prorſus, quum potius ex illis ipſamet divina Providentia comprobetur.

CII. Haec quae exipſamet Dei natura rationis tantummodo lumine cum D. Thoma recta neceſſariaque illatione deduximus evidentiſſime declarant, tanta in iis potiſſimum quae ad animam, deique naturam ſpectant errorum monſtra non aliam habere cauſam, praeter rationis ac libertatis abuſum.

CIII. Ex quibus omnibus conſequitur, ut ad veritatem comparandam recta, ac tutiſſima ſternatur via, in rebus quidem phyſicis libertate, in iis vero, quae ad religionem ſpectant, obſequio eſſe utendum; ſic enim fiet, ut & Philoſophia Religioni opituletur, & Religio Philoſophiam perficiat, promoveatque.

Facta cuique poſt tertium arguendi facultate

Diſputabuntur publice ad S. Marcum Ord. Praed. Praeſide Fr. Sebastiano Montanari *in eodem Collegio Philoſophiae Profeſſore Anno Domini* 1773. *Menſe Septembris Die* *Hora*

S. 540377

Digitized by Google

Digitized by Google